

et huius praecepti neglectum oboriri, adeo omnibus in comperto est, ut qui recte sapiunt, hanc sedulo devitabunt.

D) Tandem, si aliquod tum personale, tum generale ac peculiare impedimentum habeatur quo ab operibus servilibus abstinencia in discrimine adduci possit, adeo prudentiae caritativae Pastor inserviat, ut [servatis a iure servandis] super re fideles solvat. Quapropter in messis vel in alio simili adiuncto, si necessitas urgeat, divinum officium mature celebratum, vespertinas preces cum primo, conglobatas vel penitus omissas, quaedam supererogatoria pietatis opera fidelibus injuncta, ac, tandem, nimiam severitatem non minus ac benignitatem nimiam devitando, tum fideles omnes, tum hos tantum quorum interest, ab huius praecepti observantia, Parochus dispenset. Si, enim, Sanctae Ecclesiae auctoritas severa est, attamen aspera non est; et cum filiorum suorum genuina necessitas, vel evidens utilitas poscit, misericordiae suae viscera peramanter ostendit. Haec genuina pastoralis regiminis indoles est, cui omnibus in adiunctis studere, gravissimum Boni Pastoris conscientiae officium extat. Quod utinam omnes intelligerent!

## Articulus II.

### DE QUIBUSDAM ECCLESIAE PRAECEPTIS.

§ I. — De tertio ac quarto Ecclesiae praecepto, nimirum, de *annua Confessione*, ac de *Communione Paschali*.

SUMMAE RERUM. — 431. Quoad annualem confessionem quae morum theologia jubet — 432. Quaedam peculiaris in re industria Pastori recolitur — 433. De Communioni Paschali tum ex canonibus, tum ex morum theologia synopsis — 434. Pastoralia in re monumenta recensentur.

431. — Ut fideles omnes, cum ad discretionis annos pervenerint, semel saltem in anno, proprio sacerdoti peccata sua confiteantur, Ecclesia jubet<sup>1</sup>. Qua in re animadvertendum est<sup>2</sup>:

I) Quoad tempus a quo haec obligatio incipit, de SS. Eucharestia agentes iam vidimus; nempe, ut plurimum, paullo ante septimum annum, et quibusdam in adiunctis, etiam prius, nimirum statim ac inter res et res pueri distinguere sciunt<sup>3</sup>.

<sup>1</sup> Can. *Omnis utriusque sexus*, 12 de *Paenit* X, V, 38.

<sup>2</sup> Cfr. Noldin, *op. cit.* n. 681 et seq.

<sup>3</sup> SS. D. N. Pius PP. X, decret. *Quam singulari*, cit.

II) Annuae confessionis praecepto illi tantum tenentur qui grave peccatum commiserunt.

III) Huic praecepto qui invalide et sacrilege confiteatur non satisfit, Contraria sententia damnata est<sup>1</sup>.

IV) Proprius sacerdos est Parochus, episcopus, S. Pontifex; sed nunc confessio fieri potest etiam cuicumque sacerdoti approbato.

V) Huius obligationis tempus ad divini praecepti impletionem urgendam ab Ecclesia determinatur<sup>2</sup>; quo fit ut qui intra annum praeceptum non impleverit, postea ad illud servandum quamprimum confiteri teneatur; praecedentis, enim, anni obligatio semper urget.

432. — Hoc quoque in paschalis confessionis adiuncto, quae in genere et in specie pro tanto sacramento alibi recolimus prae oculis habeantur. Praesertim vero ut liberius, commodius ac securius huic satisfaciendo praecepto ferantur fideles, confessariorum copiam tum ex saeculari, tum ex regulari clero electorum, ipsis comparare quam plurimum iuvabit. Quod et aliquoties in anno, maiorum Festivitatum causa, quam maxime consulendum, ne sacrilegii occasio praebatur, vel saltem ut haec ab ipsis arceatur. — Ad utrumque vero punctum ferendum ut Parochus adeo nulla in re ialousia laboret, ut omnino libere ad quemcumque confessarium fidelibus pateat accessus, numquam satius saudebitur.

433. — Quoad Paschalis Communionis praeceptum, tum canonum, tum theologiae morum praecipuae ordinationes<sup>3</sup> huc redeunt:

I) Praeceptum est de iure divino<sup>4</sup> adultis fidelibus saepius in vita et in mortis periculo Sacram Eucharistiam suscipere.

II) Praeceptum est de iure ecclesiastico<sup>5</sup> omnibus utriusque sexus fidelibus, praemissa peccatorum confessione, reverenter ad minus semel in anno, tempore Paschali, Eucharestiae Sacramentum in propria Parochia<sup>5</sup> a suo Pastore suscipere. Qui, vero, alibi facient, huic praecepto minime adimplent; excipe tamen: a) privilegium, vel ipsius Parochi licentiam habentes; b) Communitates quae fuerunt in hoc exemptae; c) parochiani paschali tempore absentes, aut qui ad Ecclesiam paroecialem accedere, absque incommodo, non possunt; d) laici intra regularium domus degentes ac ipsis inservientes.

III) At ad rem considera:

I. Tempus paschale, ex universali Ecclesiae lege, quindecim dies tantum complectitur, nempe a dominica Palmarum usque ad dominicam in Albis inclusive<sup>6</sup>. Episcopi, tamen, pro singulari persona vel aliquo pago, vi quasi-ordinariae potestatis, vel omni pro diocesi ex consuetudine, vel ubi haec non viget, ex speciali

<sup>1</sup> Alexand. VII, proposit. 16.

<sup>2</sup> Cfr. Lugo, *De Poenitent.* disp. XV, n. 177 et seq.

<sup>3</sup> Cfr. Noldin ac DD. cit.

<sup>4</sup> S. Alphons. VI, 295; Suarez, *De Eu-*

*charest.* d. 69 s. I et 3; S. Thom. *S. Th.* III, q. 80, a. 11.

<sup>5</sup> Cap. *Omnis utriusque* 12. *De Poenitent et remitt.* X, V, 38.

<sup>6</sup> Eugenius IV, *Fide digna*, 8 jul. 1440.



S. Sedis indulto<sup>1</sup> [per S. C. Concilii] hoc tempus prorogare possunt. Parochi vero necnon confessarii, legitimo impedimento existente, pro singulis personis communionem paschalem ad tempus differre possunt.

2. Etiam quoad determinatum tempus, praeceptum hoc adeo grave urget at qui SS. Communionem Paschalem ultra tempus paschale, vel ad diem, differret, per se, culpa gravi se adstringat. Insuper temporis determinatio non ad finiendam obligationem, sed ad illam urgendam statuitur.

3. Huic praecepto per sacrilegam Communionem, minime satisfit.

4. Circumstantia loci ubi Paschalis Communio sumenda est adeo de gravi obligat, ut qui alia in Ecclesia communicat, si superadlatae circumstantiae desint, huic praecepto minime satisficit.

5. Fideles communicantes qui aegroti non sint, communiter, ieiunium naturale praemittere debent<sup>2</sup>.

6. Si Communionem Paschalem excipias, Eucharestiae sacramentum in quacumque Regularium aut saecularium Ecclesiis, fideles suscipere possunt.

434. — In iis omnibus observandis potissima Parochi cura sit: nam, ut gregi Pastor invigilet, et oves suum recognoscant Pastorem omnino oportet. Igitur:

a) Si necessitatis causam excipias, Paschali tempore, SS. Communionem manu propria fidelibus administrabit Pastor, vel saltem ad hoc unum tantum delegabit sacerdotem, qui de accedentibus ei dicet. Complurimis in locis et Paschalis communionis testimonium fidelibus dimittitur, in quo tamen quae de confessionis schedula alibi monuimus [quadam saltem ratione] prae oculis habenda sunt, ne sacrilegiis locum sit.

b) Huius praecepti observantiam in suis ad populum sermonibus ac catechesibus per annum declaret Pastor, et, Paschali appropinquante tempore, ipsis in memoriam recolat, ne oblivioni locus sit.

c) In magnis praesertim ac urbanis paroeciis, quorundam pusillanimitati, qui, humano laborantes respectu, fere clanculum huic praecepto satisfacere postulant, paterne compatiatur Pastor. Si quis vero procrastinationem vel loci mutationem optare videatur, ut essentia saltem praecepti in tuto ponatur, haud difficile se praebeat Parochus, qui peculiaribus in adjunctis et de re veniam Regularibus sciscitantibus concedat.

d) Tandem si de communicantium numero et similibus sive directe per se, sive indirecte per Vicarium Foraneum, Ordinarium Parochus informare teneatur, quantum intersit ut prudenter et sincere de re rationem reddat, nemo est qui non videat. Non, igitur, vanitati aut coeteris passionibus, sed caritati tantam veritati que inserviendum.

<sup>1</sup> Cfr. document. XXXVII ad vol. calc.

<sup>2</sup> Cfr. exceptiones pag. 392 cd 2 et 3.

§ II. — De quinto et sexto Ecclesiae praeceptis, nimirum, de a carne, extra ieiunium, abstinentia, et de ecclesiastico ieiunio.

SUMMAE RERUM. — 435. Animadversionem praeviae — 436. De a carnibus abstinentia quae theologia morum doceat. — 437. Quoad ieiunium quae eiusdem praecepta sint. — 438. Quale pro Italia nuperrimum jus in utrisque sit. — 439. Quoad utrumque pastoralia quaedam monimenta recensentur.

435. — Sanctissimis illis verbis: *Poenitentiam agite*<sup>1</sup>, et *si poenitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis*<sup>2</sup>, ut fideles salventur et ad Deum finem ultimum reducantur, poenitentiam Salvator Noster praescripsit. Cumque, praeterea contra carnem quae [testante Apostolo] concupiscit adversus spiritum, adeoque tot cum cupiditatibus perversisque propensionibus quae nobis insitae sunt, quasque haud intermisce experimur, continuum nobis luctamen instet: cumque, ut Christi vestigia sequamur, et Ipsum, qui solus est veritas et vita, in animabus nostris exprimamus ac referamus, christiana vita universa versetur: idcirco observantias varias quibus Deus fidelium *vitia comprimit, mentem elevat, virtutes largitur et praemia*<sup>3</sup>. Sancta Mater Ecclesia indixit. Has inter a carnium abstinentia, necnon ecclesiastica ieiunia praecipuum locum obtinent.

436. — Quod a carnibus abstinentiam spectat, haec quoque, ex morum theologia et canonum synopsis<sup>4</sup> praecedat. — Abstinentiae, igitur praeceptum [quod ab alio ieiunii haec seiunctum volumus] tria prohibet, nempe: a) *carnes*; b) *ova ac lactinia*; c) *ciborum promiscuitatem*. Ad rem per partes:

a) Quid, sensu ecclesiastico, carnis et piscis nomine veniat, ex communi fidelium aestimatione et, praesertim, ex consuetudine dicendum est. Attamen:

1. Animalia quorum caro prohibetur, *mammalia* ac *aves* sunt, ex quibus tamen lutrae, castores, tricheci, anates et fulicae [neque corvi marini] communiter excipienda non sunt. Attamen lutres, castores, anates et fulicae, ubi eorum usus consuetudo licitum reddit, comedi possunt; ubi autem usus minime viget, interdictae habeantur. In dubio, vero, utilior pars eligi potest, ut quidam tenent.

2. Prohibitorum animalium partes omnes vetantur; quapropter, etiam eorum sanguis, ossa medulla, partes cerebrales, pinguedo seu aeps, laridum [nisi consuetudine vel indulto horum quidquam permittatur] comedere illicitum. Itaque etiam cibi

<sup>1</sup> *Math.* III, 2, IV, 17.

<sup>2</sup> *Luc.* XIII, 15.

<sup>3</sup> Praefat. Quadrages.

<sup>4</sup> Cfr. Noldin *op. cit.* n. 662; doc. XXXVIII ad vol. calc.



cum carne cocti, ut *carnis* iusculum, lique adipe vel carne conditi, per se prohibentur. Horum vero animalium fructus, ut ova et lac, minime vetantur. Ad rem:

a) Iam pridem ad cibos adparandos, olei loco, *pinguedo* permittebatur; antea hoc nomine ea sola *suina* concedebatur, nunc vero *cuiuscumque* animalis<sup>1</sup> adeps seu pinguedo permittitur, et quando haec concessa est, et butyro quoque, tamquam condimento, uti licet<sup>2</sup>.

β) Ubi laridi usus ad cibos condiendos permittitur [ut in nonnullis Italiae locis contingit] adeo facultas interpretanda est, ut etiam minutissima illa frustula, quae larido [igne liquefacto] immixta manet, licite sumi possit<sup>3</sup>.

γ) Margarinae [butyrum artefactum, nempe, ex buvillo et puriore lacte partis confectum] usus, non solum ad cibos parandos, sed etiam per modum cibi, vel condimenti [licite butyri manente usu] permittitur<sup>4</sup>.

δ) Abstinentiae diebus iusculi condimenta a *Maggi* inventum ac *kunerol* [uti ex carne confecta haud constet] adhibere licet: at *carnis* extractis [*liebig*, *bovril*, *peptonis*, etc.] quae dicuntur, cum certe ex carne coalescant, uti nequit.

ε) Piscium nomine non solum pisces stricte tales, sed animalia omnia frigidum sanguinem habentia veniunt, et ex eorum numero reptilia et amphibia [uti ranae], moluscae [ut limaces], conchae [ut ostreae] et crustacea [ut cancri et cammari] sunt<sup>5</sup>.

c) Ab ovibus et lacticiiniis abstinentiam quod spectat:

1. Sub lacticiinii nomen, lac et ea omnia quae ex lacte comparantur, nempe, butyrum ac caseum comprehenduntur, et ea tantum ova ac lacticina ab illis animalibus provenientia quorum carnes vetitae sunt.

2. Lacticiiniorum ac ovorum usus, nisi dispensatio accedat vel consuetudo aliud ferat [prout in Germania aliisque paucis Nationibus], in quadragesima [diebus festiviis comprehensis] fere ubique sub gravi<sup>6</sup> vetitum est. In aliis autem ieiunii diebus per annum occurrentibus, haec lex non viget.

3. Ad gravem materiam constituendam, quantitas maior quam in esu carnis requiritur.

4. Oves ac lacticina adeo aequiparantur, ut qui a primis dispensatus est, et ab alteris liber censeatur. — Carnes ac lacticina non aequiparantur; quapropter qui a lacticiiniis solutus sit, ab abstinentia carniū haud liber est. Dispensatus vero a carne, eo ipso et a lacticiiniis dispensatus censi debet, quia minus in maiore continetur. — Butyrum et lac non aequiparantur, sed ut minus et plus in eadem specie se habent: hinc si in loco ubi lacticina prohibita sunt conceditur usus butyri ad condiendos cibos, non conceditur eo ipso etiam usus lactis.

d) Quoad ciborum promiscuitatem refert, obligatio tota in eo est ut qui, *dispensationis vi*, carnes comedere potest, *diebus ieiunii in eadem refectione simul carnes et pisces* [etiam siccatos] comedere<sup>7</sup> non valeat. Haec prohibitio in omnibus *ieiunii diebus*, nempe toto *quadragesimae* tempore [dominicis non exceptis], in *quatuor anni temporibus*, et *vigiliis* in quibus ieiunium praecipitur, sub gravi adstringit, et sub hac

<sup>1</sup> S. Offic., 1 maj. 1889.

<sup>2</sup> Id. 13 maj. 1896.

<sup>3</sup> S. Poenitent., 17 nov. 1897.

<sup>4</sup> S. Offic., 6 sept. 1899.

<sup>5</sup> Cfr. S. C. C. in *Cilent*, 26 dec. 1911;

in *Aurien*, 29 april. 1911; in *Bracar*,

11 dec. 1909; in *Barcinonen*, 6 august. 1910.

<sup>6</sup> Prop. XXXII ab Alexandr. VII data.

muta.

<sup>7</sup> Benedict. XIV. In *suprema*, 22 august. 1741.

tantum conditione dispensatio comedendi carnes in his diebus concedi solet. At eos qui feria sexta et sabbato, quando lex ieiunii non obligat, a lege abstinentiae dispensati sunt, haec prohibitio minime obligat<sup>1</sup>. Qui vero non indulti vi, sed ob morbum carnes edunt, in ieiunii diebus carnes et pisces simul edere possunt<sup>2</sup>. Qui ieiunio non ligatur, ieiunii diebus, pluries in die vesci carnes possunt<sup>3</sup>. — Si quis vero non carne sed iusculo tantum vel alio cibo cum carne cocto uteretur, et pisces simul edere potest<sup>4</sup>.

e) Ab abstinentiae praecepto excusantur qui *sine magno incommodo* a carnibus abstinere nequeunt, nempe:

1. Pauperes mendicantes qui carnem manducare non possunt, si nil aliud habeant.

2. Aegroti, convalescentes, stomachi debilitate laborantes, viribus debiles, qui medicinam sumere debent, cuius efficacia cibis esurialibus impeditur, ac feminae praegnantem, necnon lactantes.

3. Operarii qui difficillimis laboribus, vel his ciborum appetentiam auferentibus addicti sunt, ut hi qui in fusoribus, vitrariis vel ferrariis in fodinis, metallicis vel carbonariis officinis operam navant, quibus et caeteri, qui in fabricis vel locomotivis, fornaces curare debent, adiungi possunt.

4. Qui *alios cibos* habere non possunt, nempe: uxores, filii, famuli, si pater familias alios cibos non admittit;

5. Viatores qui alios cibos in cauponibus non accipiunt, si cibo ad congruam refectionem indigent, et si alios cibos serio postulaverint:

6. Hospes qui abstinentiae die ad prandium invitatur, quod ex carnibus parari novit, si notabile incommodum [ut gravem offensionem, inimicitias] ex refutatione merito timere debet; quod si haud habeatur, invitationem recusare tenetur. Item hospiti qui, praeter expectationem, integrum prandium ex carnibus paratum invenit, si alios cibos haud accipere, nec, sine gravi incommodo, discedere possit, carnes manducare licet.

7. Si, errore, ex cibis vetitis prandium paratum sit, distinguendum est, scilicet: a) si de solo condimento ex carnibus agitur, esus permitti potest; b) si de integro prandio ex carnis parato ageretur, circumstantiae attendendae sunt, num, nimirum, alii cibi mox praeparari possint, num prandium paratum, sine detrimento notabili, asservetur. Si vero gravi absque detrimento paratum prandium relinqui non potest, licite sumitur.

437. — Si abstinentiae lex multis irretitur difficultatibus, de ieiunio altera magis, quae, ne confusionis locum sit, sic, per partes, indigitamus<sup>5</sup>:

1) Ieiunium triplex distinguitur, nempe:

a) naturale, in omni prorsus cibo et potu abstinentia consistens:

b) ecclesiasticum in abstinentia a cibis, iuxta ab Ecclesiam fidelibus praescriptam formulam: quod dicitur *strictum* si abstinentia carnis, ovis et lacticiiniis praescribitur, *non strictum* si carnes tantum vetantur;

<sup>1</sup> Benedict. XIV, In *Suprema*, 22 august. 1741.

<sup>2</sup> S. Poenit., 9 jan. 1899.

<sup>3</sup> Eaed., 15 febr. 1834.

<sup>4</sup> Eaed., 8 feb. 1882 — Generatim,

quoad novissimas ieiunii leges cfr.: S. Poenit., 16 mart. 1882; S. U. I. 31 mart. 1896; S. Poenit., 9 jun. 1899, S. U. I. 15 maj. 1896.

<sup>5</sup> Cfr. Noldin, *op. cit.* n. 665 et seq.



c) morale, quod est abstinencia a cibo et potu, iuxta formam diversam ab ea quam praescribit Ecclesia, ut si quis ieiunet in pane et aqua, etc.

II) Ieiunii praeceptum, per se, duplex est, quantitatem, nempe, et ciborum qualitatem spectat; refectionem unicam illa permittit, a carnium abstinencia haec praecipit. Quo fit ut qui utrumque praeceptum violat, dupliciter peccat.

III) Ieiunii praeceptum ex genere suo grave est, sed materiae parvitatem admittit, quae, nempe, non habetur nisi quatuor uncias [120 gr.] pertingat, vel saltem excedat, quamvis in una commestione, vel divisim pluries per diem sumantur. Parvae, enim, commestiones per diem sumptae coalescunt.

IV) Ieiunium ex lege communi et citra dispensatum in quadragesimae diebus [dominicis exceptis], in quatuor anni temporibus, et in quibusdam vigiliis, [Pentecostes, SS. Apostolorum Petri et Pauli, Assumptionis B. M. V., Omnium Sanctorum, Nativitatis Domini et in feriae quartae et sextae Adventus] servandum est.

V) Si in aliquod ex festis nuperrime servatis, dies incidat abstinenciae vel ieiunio consecratus, ab utroque praecepto dispensatum est. Idem de Patronorum festis dicendum si magno populi concursu celebrantur<sup>1</sup>.

VI) Ieiunii praeceptum ad unicam refectionem quod spectat, ante vigesimum primum aetatis annum completum, fideles non obligat.

VII) Ieiunii essentia in unica tantum refectione diurna continetur, et abstinencia a carnibus ad ieiunii essentiam non pertinet. Idcirco:

1. Diebus ieiunii una tantum plena relectio permittitur, cui nunc, ex consuetudine ab Ecclesia approbata, licite ientaculum seu frustulum matutinum, et coenula seu collatio vespertina additur. Ad rem:

α) Quoad ciborum qualitatem per se etiam abstinencia a carnibus requiritur; ideo cibi, quibus diebus ieiunii vesci licet, nisi indultum aut causa excusans carnes permittat, esuriales tantum sunt.

β) Quoad ciborum quantitatem ecclesiastica lex nil praecipit, et altera naturalis temperantiae servanda est; quo fit ut quis, praeceptum ecclesiasticum quin violet, temperantiae legem fortasse laedat.

2. Relectio debet esse:

α) moraliter continua; quapropter si per interruptionem, moralis continuatio solveretur, non una, sed plures refectiones sunt. Haec vero continuitas habetur tum si nisi horae spatium inter unam alteramve comestionem intercedat, tum si longiore intercedente spatio, cum intentione explicita, vel implicita redeundi ad comestionem, quis a mensa recedit.

β) Relectionis tempus ex universali consuetudine, plus minusve, circa meridiem est, et illud etiam notabiliter [nimirum, ex gr. per horam] anticipare probabiliter peccatum non est. Prandii ac coenulae tempus invertere, si rationabilis causa extet, ut ex gr. collatio matutina circa hor. 10 vel 11, relectio vero circa hor. 4 vel 5 habeatur] licet. Hoc relectionis tempus duas ultra horas multum protrahere illicitum videtur.

3. De collatione:

α) Quoad quantitatem cibi attinet, quarta prandii pars, vel, absolute, octo unciae [circiter 240 gr.] etiam ab his qui hac quantitate plene reficentur, licite sumi possunt. Quaelibet vero causa [ex gr. complexio corporis, laborum genus, ieiunii

<sup>1</sup> Motu proprio, *Supremi*, 2 jul. 1911.

duratio, regionis ratio, vini defectus, etc.] ob quam ad officia sua convenienter implenda ampliori cibo aliquis indigeat, ad dispensandum iusta censi debet. — In vigilia Nativitatis universalis consuetudo viget qua quantitas duplo maior sumitur, quod aliquibus in locis et in aliis solemniorum Festorum vigiliis servatur, quod, ubi consuetudo habetur, licite fieri potest. — Praedictum in pondus, solum id quod rationem solidi, non autem quod rationem potus habet computandum est<sup>2</sup>: quam tamen sententiam plurimi reiiciunt<sup>3</sup>.

β) Quoad ciborum qualitatem, leviores tantum [offa, panis, fructus, olera, legumina, dulciaria, etc.] permittuntur. Si vero validiores cibi [ut ova, caseus, pisces, etc.] sumantur, quantitas, proportione debita, minuenda est. Heic quoque locorum consuetudini, quae alia calidioribus, frigidioribus alia est, serviendum.

4. Quoad ientaculum, ex universali consuetudine, coffeum, chocolatum, the, cum panis frustulo in parva tamen quantitate [duas, nimirum, uncias, seu 60 gr. circiter] etiam ubi consuetudo non viget<sup>3</sup>, licite sumi licet.

VII) Quid extra plenam refectionem [cum collatione et ientaculo] sumere liceat quin ieiunium frangatur, distinguendum est:

1. Quod habet rationem cibi nimirum quod principaliter [sive solidum, sive liquidum] nutritioni inservit, diebus ieiunii prohibetur.

2. Quod habet rationem potus [liquidum, nempe, quod, ex communi usu, ad depellendam sitim, vel ut cibi vehiculum ad digestionem iuvandam adhibetur] ieiunii diebus licite sumi potest. Tamen extra refectionis et collationis horam, liquidum, et, *ne potus noceat*, semel aut bis in die frustulum panis sumere, per se ieiunium non frangit, quia panis per medicinae modum sumitur.

VIII) Causae quae a ieiunii lege excusare possunt complurimae habentur, quae ita, per partes, distingui possunt:

I) Debilitas corporis ut:

α) infirmi, convalescentes, debiles, item qui una vice sufficiens alimentum haud sumere possunt; omnes qui ex ieiunio notabilem doloris capitem aut vertiginem patiuntur, vel qui si coena careant, per notabilem noctis partem dormire nequeunt.

β) praegnantibus ac nutriendis, etsi, ob robustas vires, ex ieiunio detrimentum haud pati videantur, necnon, probabiliter, mulieres quae menstruum fluxum patiuntur.

γ) senes i. e. sexagenarii ab a. 60 inchoato, feminae quinquagenariae ab inchoato aetatis anno 30.

II) Paupertate, a ieiunii lege excusantur omnes qui unde plenam refectionem sibi comparent non habent, ex gr. ostiatim mendicantes, et qui cibos ut unam plenam refectionem ad nutritionem eis sufficiat carent.

III) Propter corporis laborem excusantur:

α) Operarii qui mechanicam artem cum magna defatigatione exercent: agricolae, fabri ferrarii, lignarii, murarii, textores, lapidariae, nautae, baiuli, cursores, sutores, coqui, etc.

β) Itinerantes si sine incommodo iter differri nequeant, vel si inceptum iam sit. Complurimos in re casus confer apud AA.

<sup>1</sup> Genicot, I. n. 437; Berardi, *Praxis*,

<sup>2</sup> Cfr. S. Alphons. n. 1029; Lehmkuhul, I, n. 1211.

<sup>3</sup> S. Poenitent, 21 nov. 1843.



IV) Propter mentis laborem, non per se, sed per accidens quia cum corporali defatigatione saepe coniunctus est, excusantur:

a) Scientiarum lectores *etsi* semel in die lectionem habeant, *dummodo* magno studio et labore ad eam parandam indigent; *non* vero hi qui lectiones iam paratas et saepius repetitas tradunt.

β) Grammaticae Professores ac ludimagistri qui per *quatuor* vel *quinque* horas *quotidie*, magna cum defatigatione, docent.

γ) Studiosi qui per *maiores* diei partem [novem, vel decem circiter horas] scholas frequentant, et *serio* studiis incumbunt.

δ) Concionatores qui *quotidie* vel *ferè* quotidie, concionem habent; *non* vero qui ter vel quatuor in hebdomada sermocinare tenentur.

e) Confessarii *si* per septem vel octo horas confessiones excipiant, et *sine* gravi incommodo poenitentes simul audire et ieiunare non possint.

438. — Tandem et peculiare quoad haec bina praecepta, pro Italia tantum, nuperrime adlatae leges recolendae veniunt quae huc redeunt<sup>1</sup>:

I. In omnibus et singulis Italiae regionibus, dioecesibus quoque Melitensi et Gaudiensi comprehensis, quae dispositionibus hac in re pro Italia latis uti solent, ieiunium, seu lex unice per diem refectiois, servandum erit:

a) Toto tempore Quadragesimae, Dominicis tantum diebus exceptis;

b) Feriis sextis et sabbatis Adventus;

c) Feriis quartis, sextis et sabbatis Quatuor anni Temporum;

d) Vigiliis: Pentecostes, SS. Apostolorum Petri et Pauli, B. M. V. in Coelum Assumptae, Omnium Sanctorum et Nativitatis D. N. I. C.

e) Quibus vero diebus ieiunium praecipitur, vetatur insimul semper et absolute, in quadragesima ne diebus quidem Dominicis exceptis, carniū pisciumque in eadem commestione permixtio.

II. Praeter ieiunium, in cunctis [ut supra] Italiae regionibus, servanda etiam erit lex abstinentiae a carnibus ab iisque omnibus quae ex carne trahunt originem, lacte, scilicet, butyro, caseo, ovis et ex quocumque animali adipe condimentis:

a) Feria sexta Quatuor temporum in Quadragesima;

b) Feria sexta in Parasceve;

c) Vigiliis Assumptionis B. M. V., et Nativitatis Domini Nostri Iesu Christi.

d) Prima vero die quadragesimalis ieiunii;

e) Feriis sextis et sabbatis Quadragesimae;

f) Feriis sextis et sabbatis Adventus;

g) Feriis quartis, sextis et sabbatis Quatuor Temporum;

h) Vigiliis: S. Ioseph Sponsi B. M. V.; Annunciationis eiusdem B. M. V., ubi haec festa sub praecepto recoluntur et, ad vigiliam Annunciationis quod spectat, dummodo ea intra Quadragesimam incidat: Pentecostes; SS. Apostolorum Petri et Pauli et Omnium Sanctorum abstinentia a carnibus tantum et a iure a carnibus quomodocumque expresso servanda erit: ita ut liceat pro lubitu in principali refectioe vesci ovis et lactiniis, et tum in eadem principali refectioe, tum in refectiuncula uti ex quovis adipe, butyro, margarina [quam vocant] et similibus condimentis.

<sup>1</sup> S. Offic. 7 sept. 1906.

III. Haec eadem abstinentia a carnibus tantum est, et a iure carnis servanda pariter erit omnibus et singulis aliis sextis per annum feriis, absque tamen obligatione ieiunii et, consequenter, nulla refectiois facta distinctione quoad ovorum, lactiniū et condimentorum liberum usum.

IV. Quoties autem in aliquem ex supradictis diebus, ieiunio aut abstinentiae aut utriusque consecratis inciderit vel festum aliquod ex solemnioribus in Ecclesia, vel festum Titularis aut Patroni principalis alicuius loci vel dioecesis, vel extraordinaria aliqua religiosa solemnitas [uti centenaria, pia peregrinationes et similia], vel publicae annuales nundinae quae inusitato populi concursu celebrantur, conceditur locorum Ordinariis, excepto tempore Quadragesimae et Adventus, ut tum ieiunium, tum abstinentiam vel pro tota dioecesi vel, iuxta diversos casus, pro determinatis aliquibus locis in alium liberum diem sibi benevisum anticipare aut etiam, gravissimis tamen ex causis, super iis dispensare valeant.

V. Ieiunia et abstinentias in aliquibus locis ex peculiari voto servandas hoc decretum non respicit. Quod autem attinet ad Regulares utriusque sexus Familias speciali abstinentiae aut ieiunii voto non adstrictas, eas eadem ac simplices fideles lege uti posse decernitur.

VII. Praesenti decreto revocantur, abrogantur ac penitus abolentur quaevis in contrarium localia indulta, concessionis, privilegia, consuetudines etiam immemorabiles, ne *Bulla* quidem *Cruciata* [ubi et quavis sub forma nunc in Italia viget] excepta. Vehementer vero fideles sibi subditos hortentur Ordinarii ut Apostolicam indulgentiam aliis bonis operibus compensare studeant<sup>1</sup>.

439. — Ex his omnibus quanta in harum a carne abstinentiae ac a ieiunii legum cultu, cum materna caritate se habeat Ecclesia adeo in comperto est, ut qui [diebus nostris] eas adamussim colant, haud multi habeantur. Physicae, enim, constitutiones languentes, et societatis labores fremitusque, complurimas in re dispensationes postulant. Attamen Pastor bonus attendat:

a) *Quoniam ieiunium, animae optima custodia, corporis socius, securius tentationes propulsat, ad pietatem armat, iram Dei placat,*<sup>2</sup> abstinentiae et ieiunii ecclesiastici disciplina hominum intemperantiam magis in die fatiscentem, pro viribus sustentare conetur.

b) Has sanctissimas leges Pastor bonus, fidelibus maxime commendat, quum earum observantia veluti praecipuam hominis catholici tesseram sit, qua ab his qui foris sunt discernatur. Quapropter in suis ad populum concionibus et praesertim quadragesimae appropinquante tempore ipsis memoret ac, *iuxta* peculiare S. Sedis dioecesi elargitas dispensationes explicet. Ad eas vero observandas non tamquam onus grave, sed ut obsequium Deo Ecclesiaeque gratissimum, ac sanitati utilissimum persolvant, ipsis suadebit. Attamen, recolendum est post nuperrimam

<sup>1</sup> S. Offic. 7 sept. 1906.

<sup>2</sup> S. Basil., *Conc. I.*